


DE
COMETE

Ad Illuſtriſs. ac Reuerendiſs.
Archiep. Rauennæ &c.
LVCAM TORREGIANVM
Dominum meum multis mihi
titulis colendum

Hip. Nani Eleph. Vrania.





ILLVSTRISSIME, ac Reuerendiſsime Præſul.



Vi ſuper æthereâ natus regione Cometes?
Qui globus ignitus? quæ noua Stella micat?
An vapor accenſus? flammiſne alimenta miniſtrat
Lutea congeries, quæ ſuper aſtra volat?
An Marti coniuncta Venus generauit aduſtam,
Siue ea Mercurij Stella maligna facem?
Filia Saturni fuſco ſaturata colore,
Nuntiet vt mortem pallidus ille color?
An rutilas à Sole comas, lumenq; refractum
Mutuat, an proprijs ardet in exequijs?
Viſa fuit nobis mediati menſe Decembris,
Vt ſit principium, ſed ſine fine, mali,
Naſcitur oppoſito redeuntis tramite Solis,
Effectus ſubitos ex Oriente parit,
Qui geniti durare ſolent tot menſibus Anni,
Quot ſuprà terram cauda diebus erit;
Mobilis aſpectu primo tendebat ad Auſtrum,
Et pede retrogrado meridiana fuit,
Stare loco neſcit, rapitur vertigine Cœli,
An mutat faciem, mutat vt illa locum?

Seruat adhuc capitis discum, formamq; priorem,
Dum fluidà currens mobilitate natat,
Si Libram tangat, si claustrum Virginis intret,
Currit inæquali, sed fugitiua, gradu,
Vritur infelix, toto quasi Clytia Cœlo
Auuersata iubar quod fugit, hoc sequitur;
Centaurus caput, & caudam prospectat Orion,
Crinitum cingunt Coruus, & Hydra latus;
Si Cœlum rapitur, proprij virtute mouetur,
Errant, sed certis sydera rapta modis,
Motibus alternis proprios deducimus ortus,
Ex quibus effectum verificare licet:
Quicquid id est, Cœli fatalis lingua timenda est,
Stella comam ducens prodigialè rubet,
Hæc primum mentitur iter, conuersaq; cursum
Non duraturo lumine præcipitat,
Iàm variat, mutatq; vices, iàm præterit Hydram,
Iàm diuersa tenens se reuoluta rotat,
Et salit, & resilit, partesq; recursat in omnes,
Lumine dum nobis proditur illa suo;
Pleiades, Eridanus, totius Regia Cœli
Mirantur celerem peruolitare globum;
Arbitra Stellarum Taurum, Cętumq; fatigat,
Imperat aerijs ambitiosa plagis,

Excelsi

Excelſi Regina poli, crinemq; repexā
Percurrit totam Solis vtramq; domum,
Attollit ſublime caput, mihi credere fas eſt,
Hanc ſuprà Lunam motibus ire ſuis:
Si quæras, quid ſit, vel quid ferat iſte Cometes,
Nil, niſi funebrem dixeris eſſe facem,
Eſt mortis lampas Stellis accenſa malignis,
Semper & infauſtæ ſemina lucis habet:
Sic Domini miramur opus, Populiq; ſalutant
Sydera, dum gaudent hâc nouitate poli:
Si ſcirent arcana Dei, ſeù qualis ineſſet
Spiritus, aut ſuperis vis operoſa focis,
Non ſiccis oculis ſpectarent lumina Cęli,
Et cordis quaterent ex adamante fores:
O' quot regnorum clades, morteſq; minatur?
Vix tantis tellus ſufficit vna minis;
Sic Deus auertat peſtem, quam fuſca retorquet,
Quotq; reluctatur ſanguinolenta neces;
Veh populis, quos ſtella ferox de vertice ſpectat;
Eſt verticalis pernitioſa lues,
Si trepidat medij reſidens in cardine Cęli,
Vicinam mortem Regibus eſſe monet,
Occìdit, occidit, nam ſtrages nuntiat aſtrum,
Si moriens rutilo lumine ſe rapiat;

Subie-

Subiectas Asiæ partes, Vrbesq; iacentes

Territat, heù miseris quanta ruina locis?

Bosphorios, Turcasq; ferit, Bjzantia regna,

Horret in aspectù barbara luna suo;

Externos hostes, peregrinaq; bella ciebit,

Numinis irati vox, oculusq; minax;

Dij nobis meliora ferant; non dira satiscit,

Phenomenon nulla nobilitate viget;

Quid generet crinitus apex, & nucleus Astri?

Lucenti Spurio regula nulla datur;

Est index, non causa mali; sine lege vagatur,

Et certas leges ponere flamma potest?

Hæc sunt signa Deî superam monstrantia mentem,

Vicinas clades, funera, bella, famem.

Cum precibus placate Deum, dum tempus habetis,

Extorquent manibus fulmina prompta preces:

Mortalis triplici præcordia roborat ære,

Et nullum mortis pertimet ille gradum:

Scilicet, ô LVCA, nobis spectacula præbet,

Hac face terrarum ludit in Orbe Deus;

Tù, qui cuncta sapis, viso dominaberis astro,

Qui forti studio fata inimica domas,

Hermathena tibi est, quæ clara volumina celat,

Tutus in hoc Cœlo sydera nulla times:

Quæ

Quæ docet Aſtronomus, cecini; documenta Stagiræ
  Iàm taceant, audi, quid mea muſa ferat;
Si vapor eſt terræ, aut ſuperæ regionis abortus,
  Dic mihi, quid nobis fumus, & vmbra nocent?
Si rapitur leuitate focus, vaneſcet in auras,
  Delectatq; oculos flammea mappa meos;
Cur non felices ſortes prædixerit ignis?
  Triſtes euentus qua ratione probas?
Lurida materies ſimiles produxerit actus?
  Quis ſcit an in Cœli ſit regione lutum?
Septem à Chriſto, & ſexaginta fuere Cometes,
  Et tamen hic mundus durat in orbe ſuo,
Cur fortunatos potius non indicet annos,
  Quàm mala, quàm ſtrages vltimus iſte nocet?
O! mihi ſi liceat rerum cognoſcere cauſas,
  Quas ego: ſed ſenſum religione premam,
Si liceat luſtrare polos, lunæq; receſſus,
  Plurima dum canerem, quanta canenda forent?
Sunt arcana Dei, non cognita ſigna Com etes
  Et poterunt nobis conciliare bonum;
Quæ Reges Tharſi ſcintillans Stella præibat,
  Teſqua per & ſyluas ſemper amica fuit:
Nemo eſt qui doceat fatalis dogmata libri,
  Qui ſapit, ille tacet, qui tacet, ille ſapit;

Quan-

Quando Deus loquitur, ſtellatus panditur Æther,
Noſtraq; præſenti Numine corda gelant:
Os aperit Cœlum, quis tanta oracula nouit?
Surdus ad has voces quomodo viuit Homo?



Bononiæ, Typis Io. Baptiſtæ Ferronij 1665.
Superiorum permiſſu.